DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

JOHANNI CALLANAN, M. D.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

CONSECRAT

FILIUS.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS CALLANAN,

HIBERNUS.

Die VIII. ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1809.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

DEFINITIONEM hujus morbi a CULLENO, huic tentamini anteponere liceat: "*Febres, miasmate paludum ortæ, paroxysmis pluribus, apyrexia, saltem remissione evidente interposita, cum exacerbatione notabili, et plerumque cum horrore redeuntibus, constantes: Paroxysmo quovis die unico tantum.*" Harum species sunt tres, varie nominatæ, secundum intervalla paroxysmorum, scilicet, *quotidiana*, in-

tervallo horarum viginti quatuor: si redeant paroxysmi diebus alternis, nomen habet *tertianæ*: febris *quartana* dicitur, primo et quarto die regrediens. Exempla sunt intervalli longioris; hæc autem raro accedentia, atque periodicam aggressionem non servantia, vix spectanda sunt, cum de morbo regulari tractare volumus.

Nonnunquam sub specie febris continuæ primum impetum faciunt; sed paucis diebus elapsis, veram formam induunt. Usitatius repente aggrediuntur, atque æger in typhum ruit.

In vernas et autumnales distinguuntur; de quo notatu dignum, tertianam in vere potius, quartanam sæpius in autumno, sævire. Cujusque paroxysmi tria sunt stadia, nempe, horroris, caloris, et sudoris; in quibus quoque variant species intermittentium, quippe stadium quartanæ frigidum lon-

gius perdurat quam tertianæ, et tertianæ quam quotidianæ. Tempora caloris, ordinem alium servant. In decessionibus paroxysmorum febrium hujusce generis intermissio ex toto est.

Hoc morbo utplurimum corripiuntur homines mediæ ætatis et debiliores, sed, præ omnibus, miasmati paludum objecti.

Causæ quæ prædisponunt sunt, diæta tenuis, labor nimius, frigus, vestimenta vel stragula madida, vigilium, mœstitia, evacuationes solitæ suppressæ, exanthemata retropulsa, morbi præcedentes, et omnia quæ debilitatem inferunt. Febris hæc, euro sufflante, prævalet; tunc temporis acerrime invadit eos qui ripas paludum, loca humida et ab afflatione ventorum seclusa, incolunt: jure igitur inter causas, ille ventus nomen habet.

SYMPTOMATA.

Obrepit stadium frigidum languore, lassitudine, viribus imminutis, cum oscitatione et pandiculatione; brevi subsequuntur rigores, horrores, frigoris sensus initio palmas manuum et extrema occupans; cito invadit dorsum, nec gradatim totum corpus friget et torpet; facies penitus collapsa, livescit; cutis aspera fit et constricta, sensibilitate ejus nisi frigoris minuta; nunc dolores capitis, dorsi, lumborum et articulorum majorum, ægrum torquent; nausea sæpe et vomitu bilis vires ægri solvuntur, unde difficilius et laboriose respiratio perficitur. Semper comitatur dyspnœam animus multo demissus et anxius; frequens, debilis, et plerumque inæqualis fit pulsus; urina coloris expers redditur, et

alvus adstricta tenetur. Nec solum læduntur vires et munera corporis; haud parvum incommodum subit animus: multo turbatur utplurimum, et eousque torpescunt omnes facultates rationis, ut accedant haud raro somnolentia et stupor, passubus tam magnis interdum ingravescentes, ut maxime referant comam vel apoplexiam. His indiciis paulatim decedentibus, frigoris et caloris alternis vicibus afficitur corpus; brevi clare se ostendit stadium caloris.

Calor intensius urgens et ardens primo in pectore perceptus, cito per totum corpus extendit; pulsus plenus, validus, durus fit, et ictus ejus regularem cursum sequuntur; respiratio magis libera, sed adhuc anxietate consociata; superficies corporis rubescit; sitis levis urget, cum lingua alba et sicca; oculi nunc vivescunt, atque solito splendore micant; suffusiones calidi super vultum transeunt, dum caput dolore magno, nonnunquam

delirio corripitur. Inquietudo et jactatio summæ ægrum opprimunt, vires ejus usque refringentes. Urina rubella demittitur, sedimenti expers. Cum jam non longe ab terminis producitur hoc stadium, vis animi valde imminuta evadit; nec æger perferre potest lucis vel soni adventum. Ab aucto sanguinis impetu, cerebrum plenitudinis sensu gravescit, tali modo laborans, ut desipiat omnino; imperium voluntatis subvertitur, quo sæpe fit, recondita etiam penitus animi adstantibus prodire inscientem.

Calore aliquantulum mitescente, cutis sudore molli madet, primum a fronte, collo et pectore manante, demum super totum corpus copiose atque æquabiliter diffuso.

Pulsus plenus fit et mollis; lingua humida, siti vix urgente; denique constrictione prorsus amota, respiratio solitas vices servat, et nunc omnes functiones rite peraguntur.

Urina turbida sedimentum lateritium abunde deponit; dejectiones liquidæ fere et biliosæ sunt. Indicia admodum fausta subveniunt, —somnus placidus, cibi desiderium renovatum, ita ut omnes functiones munere usitato fungantur, et præterquam languorem et debilitatem consequentes, ægrotus pristina valetudine gauderet.

Verum, ne nunc quidem prope ad terminos provenisset febris, utpote morbus prægressus labem relinquit, et proclivitas impetui regresso præcavenda est. Symptomata supra dicta non semper cursum ita ordinatum sequuntur, vel symptomatum vel stadiorum, nempe paroxysmus aliquando ingruit calore; interdum deest omnino stadium sudoris, et solvitur calor urens, vel epistaxi, vel hæmoptysi, vel sanguinis ab hæmorrhoidalibus fluxu, vel diarrhœa biliosa, vel urina sedimentum large deponente. Nec semper similia sunt indicia

hujus febris recurrentis ; quandoque tempore solito peracto, dolor capitis, sine gravioribus aliis morbi signis, solus vexat ; sed nec in dubio est typhus, nam iisdem remediis adhibitis cedit. Proprium est huic febri, quod prægressa, systema regressui proclive habet. Observandum est quoque, hanc febrem cum aliis morbis sæpe complicari. In tropicis terris, morbi hepatici, obstructiones, diarrhœa, dysenteria et hydrops se conjungunt intermittentibus.

Stadio frigido incumbente, moles sanguinis in partes internas, præsertim hepar impellitur, distentionem inducens, itaque sæpe in schirro finem habet. In hunc modum quoque promovetur ascites, schirri hepatis frequentissima sequela, ex pressura tumorum super ramos venæ portarum inhibente reditum sanguinis a visceribus abdominis, idcirco effusionem lymphæ in cavum abdominis pariente. Diarrhœa plane sequitur ab eadem determinatione san-

guinis, secretionem præter naturam glandulis intestinorum promovente.

PROGNOSIS.

Ex vi et duratione paroxysmorum, et morbi ipsius, præsertim de eventu judicandum est; quo enim graviores paroxysmi, quo breviores et minus perfectæ intermissiones, eo magis timendum est. Incolæ regionum calidarum longe majore periculo versantur, quam ii qui cælo temperato fruuntur; quandoquidem in plagis, ubi sol fervet, vires breviori tempore prostrantur, et vitia hepatis et obstructiones sæpissime consequuntur. In hac regione, ex sequelis potius quam morbo ipso cavere debemus. In autumno lacessantes, plus discriminis habent quam vernæ intermit-

tentes. Quartana medicis pervicacior est quam alii typi.

Cum tumores (tam difficillime solvendi) in hepate gignuntur, mali ominis est, et fere semper infeliciter evadit; nec multum sperare debemus, si febris ad continuæ formam magis spectet, multa debilitate consociata, et in putredinem acclivis. Si adhuc accedant coma, delirium, anxietas magna, tonsillarum tumor, alvus adstricta, tensio et dolor hypochondriorum, facies collapsa, pulsus debilis et irregularis, respiratio citata gemitu, et suspiriis interrupta, abdomen tensum, tumidum, et molestum tactu, nil fere est cur non lethalem eventum expectemus.

Sed nec ita est si mitiores sint paroxysmi ab initio morbi, vel, post primum impetum acerbius factum, progrediente morbo, leniores fiunt. Quoque indicium est bonæ spei, quum quinque vel sex paroxysmis brevibus per-

actis, et intervallo solito soluto, cedere loco videntur. Eruptio circum os vel aures, tumor labii superioris, recedente paroxysmo, bene eventura prædicunt, nisi una cum aliis symptomatibus infaustis se ostendant. Febres intermittentes aliorum morborum, scilicet, epilepsiæ et melancholiæ sequelæ, morbos primarios nonnunquam fugavisse dicuntur.

Omnium viscerum, quæ in hoc morbo injuriam accipiunt, hepar sæpissime morbidum conspectui objicitur; alia viscera quoque nec immunia: Ventriculus inflammatus, et gangræna obsitus; lien grandior et induratus, sed hepar maxime mutatum; quandoque terminos proprios transit, alias in minorem molem contrahitur, sed hæc haud magni momenti.

RATIO MEDENDI.

Curatio agitur duobus consiliis; obviam ire paroxysmo et regressum prohibere: medici igitur est imprimis vehementiam paroxysmi minuere, et breviorem reddere. Contra stadium frigidum maxime conare debemus, nam hoc minuendo, brevior et mitior redditur paroxysmus.

Morbo incipiente, ægrotus in lectum calidum ponendus est. Adhibeantur potus tepidi diluentes, donec pervenerit stadium caloris. Aliqui eorum usum vetant; certe prohibenda sunt omnia acida et refrigerantia, quippe calorem corporis quæsitum imminuentia.

Non dubium quin in hoc stadio emetica

præcipienda, et in hunc effectum antimonii præparata valde prosunt. Venæsectio et cathartica vitandæ sunt in stadio frigoris, ne vires omnino solvantur. Vomitu sua sponte adeunte, potus diluentes propinandi. Si coma vel delirium urgeant, epispastica admovenda sunt capiti prius raso. Frictio quoque et stimulantia dorso et calida pedibus admota.

Paroxysmo incipiente, quam multum efficax dicebatur, compressio ad iliacam unius lateris et subclavianam arteriam alterius. Æther sulphuricus contra ingressum frigoris utilis reperta fuit. Optimi effectus referebantur de tinctura opii, in depellendo paroxysmum: nautis adhibita (ut traditur) in omni exemplo prodebat.

Si frustra stadium frigidum præcidere conemur, spectare debemus quod brevius reddetur calidum, et stadium sudoris citius elicie-

tur. Huic proposito inserviunt diaphoretica, parvis et frequenter repetitis dosibus, veluti oxidum antimonii cum phosphate calcis, tartaris antimonii et ipecacuanha in dosibus nauseam excitantibus. Si urgeat tussis, dolore lateris et respirandi difficultate stipata, epispasticum adhibendum est; hoc parum afficiente, parca sit missio sanguinis. In hoc stadio quoque, effectus opii maxime laudantur; nec negandum, quod multum valet vi relaxante, nempe, spasmum tollendo, dolorem capitis levando, graviora symptomata mitigando, et sudorem atque somnum mollem demum inducendo.

Julepum salinum, refrigeranti et cathartica vi præditum, usui est. In venam secando maxime cavendum; cum ægrotus adolescens et plethorico habitu sit, et morbus vere adoriatur, necessarium est ut sanguis mittetur, præsertim si diathesis phlogistica moneat. Submurias hydrargyri, propemodum in omni-

bus febribus calidis regionibus incidentibus, medicis probatur.

Quum curatio morbi præcipue pendet ex remediis in intervallis adhibendis, huic sine mora optime incumbendum. Vires ventriculi imminutæ, remedia dyspepsiæ accommodata quærunt. Cibus acescens vel difficilis concoctu vitandus; liquores fermentati nocent; corpore debilitato, cibus nutriens cum vino præcipue rubro sumendus est; exercitatio modica dyspepsiæ obest. Optandum est quoque, ut mens exerceatur de negotio aliquo haud ingrato, quod nec multum intentam teneret, neque omnino in inertiam declinare sineret.

Ex medicamentis, cinchona et præ aliis officinalis nitet, quod omnes fere medici agnoscunt; sed de tempore, quo præberi debet, non similiter convenit. Aliqui habent, ut paroxysmo cedente, statim adhibeatur, et doses parvæ repetentur: ab aliis autem plena dosi ad-

ministratur, ante paroxysmi adventum. Sed forsitan hæ opiniones consociatæ melius adjuvabunt: Dosibus parvis post paroxysmum adhibitis, adveniente auctis.

Arsenicum diu in usu empiricis fuit tam feliciter, ut nuper in conspectum medicorum a Doctore FOWLER prodebatur, et nomen ejus jure vindicatum est. Solutio arsenici albi præparata est optime usui accommodata. Dose guttarum duodecim adultis dari potest; in morbis enim ventriculi vel intestinorum, dolor capitis, sudores et tremores parvis etiam ex dosibus, oriri solent. Opio cum eo conjuncto, hæc mala amoveri possint. Sed optimum est consilium, cum periculum sit paroxysmi redeuntis, ad cinchonam confugere.

FINIS.